



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli**

**Viegas, Brás**

**Parisiis, 1615**

Capvt Qvintvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39261**

## ARGVMENTVM.

Persequitur Ioannes narrationem secundæ visionis ceptam superiori capite, atque vidisse se in dextera sedentis in throno, id est Dei, ut supra explicauimus, librum scriptum intus & foris, septem sigillis signatum, tunc vero Angelum quendam fortem voce magna clamasse, Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Neminem autem siue in terra, siue in caelo inuentum, qui intueri in librum posset, nedum eum aperire: quam ob causam cum Ioannes vbertim fletet, apparuisse in medio throni quatuor animalium, & viginti quatuor seniorum, Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem & oculos septem, qui acceptum de dextera sedentis in throno librum aperuit: cumque eum aperuisset, quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores habentes singulos citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, cecidisse coram Agno, & in eius laudem canticum nouum decantasse, quod idem prestiterunt multa Angelorum millia, quæ omnia singulatim sunt a nobis enucleanda.

## CAPVT QVINTVM.

**T** vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, & prædicantem voce magna, Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Et nemo poterat, neque in caelo, neque in terra, neque subtus terrâ aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum. Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris, ecce vicir leo de tribu Iuda, radix Dauid aperite librum, & soluere septem signacula eius. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem, tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum. Et eum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: & cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & senio-

& seniore, & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo: omnes audiui dicentes: Sedeni in throno, & agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen: Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum.

## COMMENTARIUM SECUNDUM EXEGETICVM.

De secunda visione Ioannis.

Quisnam sit iste liber scriptus intus & foris, & signatum sigillis septem.

Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.

### SECTIO PRIMA.



**P**ROPOSITIO prima, & comunior est, librum hunc sacram esse scripturam: sic enim interpretantur Origenes hom. 12. super Exodum, & homil. 14. super Ezechielem, D. Hilarius in prologo in Psalmos, Eusebius Cæsariensis lib. 8. demonstr. Euangelicæ, cap. 2. D. Hieronymus in c. 22. Elia, Beda, Primasius, Rupertus, Richardus de san-

cto Victore, Ansbertus, Pannonius, Hugo Cardinalis, & Ioachimus. Tunc verò aiunt, huiusmodi librum esse in dextera Dei, non autem in sinistra; quia bonum spirituale, quod in sacra Scriptura continetur, malis, qui sunt ad sinistram, absconditur, bonis verò, qui sunt ad dexteram, aperitur. Sic enim etiam Deuteron. 33. Apparuit Dominus habens in dextera igneam legem, id est, charitatem, quam folis iustis impertitur: cum verò de sinistra Dei dicatur Proverb. 3. In sinistra eius diuitia, & gloria, rectè ex eo infert Rupertus, quantum dextera præcellit sinistra, tantum Scripturam sacram diuitijs omnibus, & mundi gloriæ antecellere.

Scriptus est intus, & foris, primò propter duplex testamentum, quorum testamentorum vetus foris scriptum fuit, nouum intus per mysterium latuit, quem admodum exponunt Beda, & Ansbertus, vel è contrario vt vult Richardus de sancto Victore, scriptus intus propter vetus Testamentum, vbi scientia de mysterio incarnationis occulta latuit: foris per nouum, vbi manifeste patet.

Secundò propter duplicem sensum, videlicet literalem, ac mysticum, vt exponit Rupertus, Pannonius, & Ioachimus. Tertio, secundum Richardum & Ioachimum, scriptus est intus ad spiritualium, & perfectorum exercitationem, foris

I.  
Origenes.  
D. Hilar.  
Euseb. Cæs.  
D. Hieronym.  
Beda.  
Rupertus.  
Rich. Viti.  
Pannon.  
Hugo Card.  
Ioachimus.  
Liber hic cur  
in dextera  
Dei.  
Deuter. 30. 3.  
Prou. 3. 16.  
II.  
Beda.  
Ansbertus.  
Rich. Viti.  
Scientia my-  
sterij incar-  
nationis la-  
tuit in veteri  
instrumento.  
Rupertus. Pa. 3.  
Ioachim.

autem ad simplicium, & imperfectorum cruditionem. Quarto, vt etiam interpretatur Ioachimus, quia foris loquitur instituendo corpora, intus autem animas informando in fide.

III.  
Septem sigil-  
lorum my-  
sterium, ex  
Hugo Card.

Esa. 29. 11.

III.

D. Hieronym.  
Sacram scri-  
pturam dif-  
ficultatibus  
auoluit, cur  
oportuerit.  
Theophyl.  
Clem. Alex.  
Diuina non  
passim vul-  
ganda.  
Pythag.  
Plutarch.  
D. Hieron.  
Ruffin.  
Tria Pytha-  
goræ symbo-  
la.

V.

D. Gregor.  
Scriptura sa-  
cra margari-  
tum, ex Hier-  
onymo.  
D. August.  
Dion. Areo.  
Ioan. 5. 39.  
Hæreticorum  
insania circa  
Scripturam  
sacram, eum-  
cunt.

VI.

Areth.  
Petrus Aureo.  
Diuina ar-  
canum, liber  
signatus.  
Ioan. 1. 18.

Deut 32. 34.

*Signatus est autem sigillis septem, id est, omnibus obscuritatum generibus, eo quod numerus septem arius vniuersitatem significet. Primū sigillum, vt ait Hugo Cardinalis, est sententiarum profunditas. Secundum, sensuum multiplicitas. Tertium, figuratum varietas. Quartum, rerum ipsarum incomprehensibilitas. Quintum, mysteriorum obscuritas. Sextum, tropologiarum suauitas. Septimū denique, infallibilis veritas absque euidentia eorum, quæ in scripturis continetur: atque propter hanc scripturæ Sacræ difficultatem dicitur apud Esa. 29. *Eris vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent lege istum, & respondebit non possum, signatus est enim.**

Fuit autem opus Scripturam sacram esse tam multis difficultatibus inuolutam. Primò, quemadmodum docet D. Hieronymus lib. 7. commentar. in Esaia cap. 18. vt ad eius intelligentiam prouocemur: solemus Chisti curiosius inuestigare quæ obscuris dicta sunt. Secundò, ex Theophylacto Lucæ 8. propter infideles ne altissima fidei mysteria, quæ non intelligunt, irrideant: quam rationem accepit à Dionysio Areopagita cap. 2. cælestis Hierarchiæ, & à D. Hieronymo in commentarijs super Naum cap. 3. Ob id etiam Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatam, refert Ægyptios conlucuisse in valuis templorum Sphinges collocare, in symbolum obscuritatis, vt docerent diuina non passim vulganda. Quam etiam ob causam Pythagoras varijs symbolis arcana philosophiæ & moralia dogmata contexit, quorum nonnulla refert Plutarchus libro de institutione puerorum: imo & D. Hieron. in Apologia aduersus Ruffinum, vbi multa commemorat, simulque interpretatur Pythagoræ symbola, cuiusmodi est illud: *Coronam minime carpendam*, id est, leges vrbium conseruandas: & illud, *Et non comedendum*, id est, macerem de animo eximendum: & *hirundinem in domo non recipendam*, id est, garrulos, & verbosos homines sub eodem tecto non habendos, & alia similia.

Tertio, ex D. Gregorio homil. 10. super Ezechielem, vt multipliciter posset exponi: quo sensu dixit Hieronymus libro de virginitate ad Eustoch. *Scripturam sacram esse margaritum, quod potest ex omni parte perforari*: quæ ratio etiam affertur à D. Augustino epist. 59. & in præfatione 2. Psal. 18. Quarto, ex Dionysio Areopagita cap. 1. de cælesti Hierarchia: *Quia non aliter, inquit, fas erat infirmitati nostra lucrere diuinum radium, nisi sacrorum varietate velaminum opertum, & vestium ijs, quæ nobis familiaria sunt.* Hanc scripturæ difficultatem non obscure indicauit Christus cum dixit Ioan. 5. *Scrutamini scripturas.* Scrutari enim dicimur, quod valde absconditum, & altè defossum latet, ex quo satis euincitur incredibilis hæreticorum insania, aientium scripturam sacram facillimam esse, ac sui ipsius interpretem, neque doctore indigere, cum librum hunc septem signatum sigillis, nullus præter agnum inuentus fuerit, siue in celo, siue in terra, qui potuerit aperire.

Secunda expositio est Arethæ, & Petri Aureoli Cardinalis ex ordine Seraphico, Librum hunc esse diuinæ sapientiæ arcanū, quod quia nobis omnino est occultum, septē sigillis signatum dicitur, quia verò eorum mysteriorum reuelatione per Christū accepimus, iuxta illud Ioan. 1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarravit*: idcirco agnus dicitur de dextera sedentis in throno librum accepisse, & sigilla resignasse. Et quidē diuinæ sapientiæ arcanum rectè signato libro comparatur, cū in eo sint omnia veluti obsignata, & recõdita: quemadmodū dicitur Deuter. 32. *Nonne hæc cõdita sũt apud me, & signata in thesauris meis?* Quamquã hunc locum

D.

D. Gregorius lib. 12. Moral. cap. 11. de peccatis intelligit, quæ in secreto iudiciorum Dei suo tempore puniendæ referuntur: vnde subiungitur: *Mea est ultio, & ego retribuam.* Quod etiam dicitur Iob 14. *signasti quasi in sacculo delicta mea.* id est, omnium delictorum meorum memoriam conseruasti, vt in ea suo tempore animaduerteres. Atque ad hos thesauros videtur allusisse Paulus, cum dixit ad Roman. 2. *secundum diuitiam suam, & impenitens cor thesaurizat sibi iram.*

Eadem diuinorum arcanorum incomprehensibilitas significatur Ezech. 1. cum dicitur: *similitudo super caput animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, & extensus super capita eorum desuper.* In quem locum D. Hieronym. docet firmamentum sustinens Dei thronum capitibus animalium imminere, nihil esse aliud, quam diuina mysteria secreta admodum esse, & incomprehensibilia, captumque omnem & intelligedi vim longè superantia. Idemque fuit expressum Exod. 24. cum Moses ascendens in montem, vt cum Deo loqueretur, dicitur ingressus in mediū nebulæ, quæ symbolum est obscuritatis, & caliginis, in qua perfectissimi etiam viri versantur, id quod etiam Iob testatur cap. 26. cum ait: *Qui tenet vultum solij sui, & expandit super illud nebulam suam.* Quem locum expendens D. Greg. lib. 17. Moral. cap. 18. *In vultu, inquit, solet cognito demonstrari, tenet ergo vultum, qui maiestatis suæ potentiam mortalibus abscondit: quam eandem ob causam dicitur super solij suum nebulam expandere, iuxta illud Psalm. 17. Quis posuit tenebras latibulum suum.* Tertia expositio est aliorum. Per hunc librum intelligentium Christum, cuius septem sigilla, septem sunt nostræ redemptionis mysteria, in ceremonijs, & figuris legalibus abscondita, quemadmodum docet D. Hilar. præfat. sua in Psal. Primū est, Incarnatio. Secundum, Natiuitas. Tertium, Passio. Quartum, Resurrectio. Quintum, Ascensio. Sextum, Missio Spiritus sancti. Septimum, Aduentus ad iudicium.

Quod autem Christus liber sit, prodari potest ex illis verbis Psal. 138. *Et in libro tuo omnes scribentur.* Etenim de Christo qui de se loquens, dicit se esse librum, in quo omnes prædestinati scribuntur, eum locum intellexerunt Haymo, Magister sententiarum, & alij. Vnde ipse Christus de se tanquam de libro loquens ait Esaiæ 49. *In manibus meis descripsi te.* Hic liber fuit apertus, & extensus in cruce, vt omnes in eo maximarum virtutum exempla perlegerent, vimque illam amoris, quo Deus mortales fuit prosequutus, intelligerent: scriptus erat intus & foris: intus quidem per amorem & dolorem: foris autem per vulnera: quia verò foris labores tantum, quos pro nobis ferebat, videbamus: opus fuit lancea latus eius aperiri, vt magnitudinem amoris, à quo exteriora illa signa oriebantur, coneremus.

Eodemque pertinet illud Esa. 30. *Erant oculi tui videntes præceptorē tuum,* quia enim Christus & præceptor erat simul, & liber, ipsemet in seipso tanquam in libro dabat omnis probitatis documenta: Quia verò satis erat ad illum, vel tacentem respicere, ad hanc cælestem doctrinam capellendam, idcirco dicitur: *Erunt oculi tui videntes,* non autem erunt aures tuæ audientes, quia nimirum hic liber totus clarissimis virtutum omnium exemplis, quasi maioribus notis, scriptus erat, vt etiā ab ijs, qui longè erant, optimè legi posset. Sed vide quid sequatur. *Et aures tuæ audient verbum moneus post tergum.* In quo indicatur, nec tanta amoris signa satis fuisse ad hominem molliēdum, quin potius negligisse, & terga dedisse tanto præceptorī, simulque significati maximum Christi in homines amorem, qui ab illis derelictus, non cessat tamen post tergum sequi, & illis verbis clamare Cantic. 6. *Reuertere, reuertere. Sunamitis: reuertere, reuertere vt intueamur te.* In quem locum idem Hugo obseruauit quater repeti: *Reuertere,* propter quatuor affectiones: Gaudium scilicet, tristitiam, timorem, & spem: quibus vt ad creaturas conuertimur: ita ad Deum reuerti prouocamur.

D. Gregor.  
Peccata suo  
tempore pu-  
nienda, refer-  
uat Deus.  
Iob. 14. 17.  
Rom. 2. 5.

VII.  
D. Hieron.  
Captum no-  
strum super-  
rans diuina  
mysteria.  
Exod. 24. 18.  
Iob. 26. 9.  
D. Greg.  
Vultum ab-  
scondere,  
quid.  
Psal. 17. 12.  
Christus li-  
ber signatus.  
D. Hilar.

VIII.  
Psal. 138. 15.  
Christus li-  
ber prædesti-  
natorum.  
Haymo.  
Magister.  
Esa. 49. 19.

IX.  
Esa. 30. 21.

Christum vi-  
dendo, disci-  
mus.

Clamat post  
peccatorē  
Christus.  
Cant. 9. 12.  
Hugo.

X. Verum ut ad institutum reuertamur, de Christo plerique interpretantur librum illum, de quo Dominus ad Abacuch, cap. 2. ita loquitur: *scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum: seu ut Septuaginta transtulerunt, ut persequatur qui legit in ea:* quo loco precipit Deus Propheta, ut scribat librum maiusculis characteribus, illumque in tabulis explicet, ut qui legerit non hareat, sed facile percurrat scripturam, & persequatur, id est, continuet absque vlla cunctatione, qui liber super tabulas explicatus, Christus est in cruce extensus, maiusculis literis conscriptus, id est, quam maximis & clarissimis virtutum exemplis, ut nemo in eis perlegendis possit hærere, sed si velit facile lectionem persequatur, & inde sibi viuendi normam possit accipere. Quem sensum reddidisse videtur Paraphrastes Chaldaicus, cum ita transtulit: *scribe prophetiam & explana eam in libro legis, ut festinet ad sapientiam assequendam quicumque legerit in ea: vbi per librum legis, Christus accipiendus est, qui cum Patre loquens Psalm. 39. ait: Et legem tuam in medio cordis mei.* Eodem sensu exponi potest illud Esai. 8. *sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis: vbi ad literam stylo hominis significat stylum perspicuum, & vulgarem, qui ab omnibus possit intelligi.*

XI. Igitur in Christo Pater stylo hominis conscripsit virtutum omnium exemplaria, ut à quouis clarè perspicui possent ad imitandum, simulque illud indicatur Deum ante incarnationem, non stylo hominis, sed Angeli scribere consueuisse, quia difficilè admodum intelligi poterat, & non nisi à subtilioribus & perfectioribus, perfectum vitæ genus, humilitate, patientia inimicorum dilectione, aliisque similibus contineri. At post incarnationem eandem doctrinam in Christo, stylo hominis, id est, grandibus notis, clarissimisque, & illustrissimis eandem virtutum exemplis conscriptam fuisse, ut à quouis, vel rudi, & imperito percipi possit, & ante oculos ad imitandum proponi. Denique Christum librum fuisse in cruce præcipuè explicatum, disertis verbis docuit Paulus ad Galatas 3. cum dixit: *O insensati Galatae, quis vos fascinavit, non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus prescriptus est, & in vobis crucifixus? Quo loco, qui legunt prescriptus, veluti Ambrosius, & alij, illud significari arbitrantur, vique aded Galatas dementatos fuisse ut existimarent, Christum proscriptione damnatum, & tanquam iniquum aliquem meritò crucifixum, & D. Hieronymus qui etiam legit prescriptus, hoc sensu, ante quorum oculos Christus prescriptus est, id est, quibus per meam prædicationem ita manifesta est passio eius, ut ipsum ante oculos pendere putaretis, proscripius in quam est, id est, sententiam damnationis accepit. Et quidem apud Romanos erat genus quoddam damnationis, quod *ἀγορεύω*, id est, proscriptionem appellabant. Alij tamen in bonam partem sic locum accipiunt, ante quorum fidei oculos Christus crucifixus est, quasi liber depictus, ac descriptus illustrissimis amoris documentis, atque hi non prescriptus legunt, sed prescriptus, id est, ante scriptus, seu depictus, quemadmodum legunt Diuus Chrysostomus, Theophylactus, & alij. Id enim significat verbum Græcum *ἀγορεύω*, solèturque tum ad picturam, tum ad scripturam referri, ut sit sensus Christum cruci affixum fuisse, veluti librum apertum & explicatum ante oculos fidelium propositum, in quo peccati turpitudinem (propter quam abolendam necesse fuit Christum pati) gratiæ splendorem, virtutum pulchritudinem, Dei bonitatem, sapientiam, potentiam, & incredibilem in homines amorem facile possint perlegere.*

XII. Rectè quidem hæc omnia dicuntur, sed ad visionem Ioannis minus accommodatè: quid enim attinet iuxta hanc tertiam expositionem, Christum interpretari librum illum, quem idem Christus de manu Dei accepit? alioqui quid inter librum.

librum, & accipientem librum interesset? Non video etiam cur iuxta primam vniuersa scriptura, & multo minus iuxta secundam, diuinæ sapientiæ arcana in vniuersum nomine huius libri accipiantur, cum non omnia, quæ diuinæ literæ complectuntur, ad propositum & mysteriū visionis Ioanni ostensa pertinerent.

Quare existimamus librum hunc nullum esse alium, quam hunc ipsum librum Apocalypsis, seu Apocalypsis mysteria, per visionem in libro illo imaginario ob signata, & inclusa: quorum explicationem solus agnus tradere potuit. In quam sententiam eò libentius adducor, quòd aptius video libri mysterium cum Apocalypsi conuenire: septem enim libri sigilla, sunt septem visiones præcipuæ, quas initio diximus toto hoc opere comprehendere: tunc apertis sigillis narrat Ioannes sequentibus capitibus, illa se vidisse admiranda, quæ deinceps commemorat, vt nemini iam dubium esse debeat, librum illum, cuius signaculis resignatis, visiones hoc opere commemoratæ apparuerunt, hunc ipsum esse Apocalypsis librum, qui eas continet, cuius enim alterius libri, quàm Apocalypsis esse possunt Apocalypsis mysteria? Deinde cum Ioannes in spiritu cælum ascendere iussus fuisset, vt ei ostenderentur, quæ citò fieri oportet, ostensus autem ei sit liber primùm signatus, deinde apertus, in quo ea tantum vidit, quæ ipse hoc opere commemorat, quem alium quæso librum ei ostensum & apertum existimare oporteat, quàm hanc eandem Apocalypsim eiusmodi mysteria continentem: atque hanc de hoc libro sententiam sequitur Pannonius super illa verba: *Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subius terram aperire librum.* Hinc etiam difficultatem huius libri licet intelligere, cum dicatur septem signatus sigillis, id est, septem obscurissimas visiones complectens, quæ propter summam difficultatem sigilla appellantur: simul etiam indicatur libri præstantia, neque enim vilia, sed pretiosa tam multis sigillis clausi, & ob signari solent.

Explicatio illius sententiæ: *Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid.*

SECTIO II.

Flentem Ioannem, quod nullus neque in terra, neque in cælo, neque subius terram, id est, neque Angelus, neque homo, neque dæmon, librum illum, quem viderat, posset respicere, nedum aperire, vnus e viginti quatuor senioribus his verbis animauit, *Ne sterneris, Ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid aperire librum, & soluere septem signacula eius:* quibus Ioanni spem iniecit fore, vt Christus, qui omnia omnino tanquam leo vincit, atque propter diuinæ potentia magnitudinem omnia potest, etiam librum illum resignaret, & ita mysteria in eo comprehensa vulgarentur. In qua sententia duo expositionem desiderant. Vnum est, cur Christus leoni comparatur: alterum, cur appelletur radix Dauid.

Quod igitur ad primam attinet: Christum Dominum in sacris literis leonem appellari perspicuum est, potissimum ex Genesis 49. vbi Iacob ad Messiam respiciens ex Iuda nasciturum, sic Iudam filio benedicendo alloquitur. *Carculus leonis Iuda ad pradam filii mi ascendisti, requiescens accubasti ut leo.* Quem locum de Messia, vel ipsi Iudaorum Rabbinii interpretantur. Atque hac de re legendus est Abulensis in suis Paradoxis, Paradoxo 2. Eius autem similitudinis possunt rursus afferri rationes. Prima ducitur ex fortitudine, quam eandem ob causam Messias tauro & Rhinoceroti comparatur Deut. 33. eum dici ut, *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua illius cornua Rhinocerotis, in ipsis ventilabit gentes usque ad ter-*

*D. Aug. 1.* *minos terræ, quod testimonium expendens Diuus Augustinus super Deuter. quaestione vltima, docet non esse legendum, primogenitus tauri, sed cum sit primogenitus, pulchritudo eius pulchritudo tauri est, nimirum propter crucis cornua, de quibus dicitur Abac. 1. 4. Cornua in manibus eius: vbi obiter aduerte pulchritudinem Christi in cruce eleganter pulchritudinem tauri appellari: quia videlicet tota eius in cruce pulchritudo fortitudo fuit, cum mortem, ac dæmonem passione sua destruxerit, & peccati regnum extinxerit. Itaque propter summam fortitudinem, qua dæmonem vicit, appellatur leo, diciturque instar leonis vicisse: cuius victoriæ magnitudinem explicauit Paulus ad Colossenses 2. cum dixit, Expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso: vbi est diligenter obseruandum verbum traduxit, pro quo Græcè est, ἐδεδυγµάτισεν, hoc est verbum exemplauit: & est sensus Christum dæmones ita profligasse, vt eos in triumpho duxerit humiliatos, vinculisque post terga manibus, in exemplum omnium mundi Regum ac principum, vt conspectis dæmonibus tanta potentia subactis & compressis, & à pristinae fortunæ felicitate in eum statam leuitutis, miseræque redactis, discerent in eis Christi arma formidare, timentes nimirum ne similis sibi casus eueniret: hanc enim vim habet verbum Græcum ἐδεδυγµάτισεν, quasi dicas, in exemplum proposuit. Simile quiddam habes Numer. 25. vbi Deus propter fornicationem populi cum sœcibus Moabiticis iussit suspendi cunctos principes populi contra solem in patibulis. Tolle, inquit, cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel: Quo loco pro eo quod nos habemus suspende, transtulerunt Septuaginta interpretes ἐδεδυγµάτισεν, id est, exempla, seu propone in exemplum, vt conspiciantur principibus suspensis, ceteri timeant. Et vt hoc obiter dicamus, eodem plane modo exponendum est traducendi verbum Matthæi capite primo, cum dicitur, Ioseph autem cum esset vir iustus, & nollet eam, (id est virginem) traducere: est enim sensus & nollet eam, exemplare, seu exemplum facere, hoc est infamare: est enim Græcè idem verbum, ἡ μὴ ἡλῶν αὐτῆς ἐδεδυγµάτισεν. Hæc sitigitur prima ratio, cur Christus dicitur instar leonis vicisse dæmones, eorumque regnum euertisse ob eximiam scilicet, & verè leoninam fortitudinem.*

Secunda ratio depromitur à Principatu: est enim leo terrestrium animalium princeps, quemadmodum & Christus prædestinatorum omnium, quam ob causam annotauit Eusebius Cæsariensis libro 8. demonstrationis Euangelicæ cap. 2. Quamuis in sacris literis multi nominentur sancti, tamen solum Messiam Sanctum sanctorum, imò Sanctum, & iustum per excellentiam nominari: veluti Danielis 9. Et vngatur sanctus sanctorum. Et Hierem. 23. Hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster. Vnde quemadmodum cetera animalia leoni tanquam principi famulantur, ita omnes gentes Christum, tanquam Regem suspiciunt, & venerantur. Tertia est, quia leo, cum terrori sit omnibus, neminem ipse timet: quæ ratio est D. Hilarij in Psalm. 131. vbi tractans locum Genesis citatum. Leo, inquit, terrori est feris omnibus, & hic solum per confidentiam, & securitatem dormit intrepidus, terror omnium vigilans est, quod maximè pertinet ad Christum, cuius intrepidæ, & præpotentis naturæ securitatem, nulla externi terroris timiditas inquietat, quod præcipuè docet Hilarius morti Christi conuenire: tunc enim dormiens Christus leonis intrepidè dormientis similitudinem habuit.

Quarta desumitur à vigilantia, cuius leo symbolum est, eò quod solus ex animalibus recuruos vngues habentibus, simulatque natus est, cernit: qua quidem in re longè superior leone Christus fuit, qui non dico in ortu, sed vel in ipso sui conceptus



conceptus momento diuinam vidit essentiam, quemadmodum multa Scripturę  
testimonia non obscure significant, veluti Ioannis 1. *Deum nemo vidit unquam, vni-* Ioan. 1. 18.  
*genitus qui est in sinu Patris,* (id est, qui videt diuinam essentiam quatenus homo) ipse  
enarravit, nam sicut per humanitatem enarravit: etiam per humanitatem debuit  
esse in sinu Patris. Quę expositio colligitur ex Cyrillo Alexandrino lib. 1. in Ioã- Cyrril. Alex.  
nem cap. 22. D. Augustino tractatu 3. in Ioannem, & D. Chrystoflo. homilia 14. in D. August.  
Ioannem. Propterea Ioannis 3. Christus ipse de se dicit, *Quod scimus loquimur, &* D. Chryst.  
*quod vidimus testamur.* Et paulò inferiùs. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cæ-* Ioan. 3. 11.  
*lo, filius hominis, qui est in cælo.* Quo loco est aduertendum verbum illud, *Ascendit,* ef-  
se præteriti temporis, vt patet ex Græco contextu, quo fit vt Christus dicat se  
iam tunc ascendisse in cælum secundum humanitatem: cum autem eo tempore  
nondum ascendisset per corporalem ascensionem, relinquitur loqui eum de as-  
censione in cælum per visionem beatificam. Ioannis etiam 12. ait. *Vbi ego sum, illic* Beatifica vi-  
*& minister meus erit, id est, fruetur visione beatifica, sicut ego modo fruor.* Quod sione, prius-  
autem hoc in primo conceptus articulo contigerit, non leuiter probari potest quam corpo-  
ex illis verbis Psalmi vigesimi primi, *In te proiectus sum ex utero, quæ de Christo in-* re, ascendit  
*terpretatur Eusebius Cæsariensis libro decimo demonstrationis Euãgelicę cap.* in cælu Chri-  
*ultimo: vbi introducit Christum ita Patrem alloquentem. Ex utero te Deum meum* stus.  
*iam videbim.* Et Psal. 65. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti.* Quem locum de Christi Ioan. 12. 26.  
humanitate intellexit Diuus Augustinus indicans in ipsamet Assumptione fuisse Psal. 27. 15.  
Christum beatum. Idemque habet libro 83. quæstionum, quæstione sexagesima Psal. 65. 9.  
quinta, & libro quarto de consensu Euangelistarum cap. ultimo: vbi cum asse- D. August.  
ruisset nullum mortalium posse in hac vita videre Deum, subiunxit, *Qua maxime*  
*proprietate distat à cæteris homo, cuius susceptione verbum caro factum est: idemque conce-*  
*ptus verbis affirmat Richardus de sancto Victore, lib. 2. de Emmanuele, cap. 22.* Rich. Vill.  
Quod attinet ad secundum, Non vacat mysterio quod sequitur, *Radix David.* V.  
Quomodo enim Christus radix David esse potuit, qui ex Dauide tanquam ex  
radice traxit originem? ex quo videtur Dauidem potius radicem Christi, quam  
Christum radicem Dauidis appellari debuisse, eam enim ob causam dicitur Esaiã Esai. 11. 1.  
11. *Egredietur virga de radice Iesse,* id est, Messias ex Iesse, siue Isai patre Dauidis,  
tanquam ex radice oriatur. Eadem difficultas est in illis verbis Isaiã eodem cap.  
cùm dicitur. *Indie illa radix Iesse, qui stat in signum populorum ipsum gentes deprecabun-* Christus quo-  
*tur,* vbi vides Messiam appellari *radicem Iesse,* cùm paulò ante Iesse radix modo radix  
Messiæ dictus fuerit. Cui dubitationi respondent Rupertus, & Pannonius David.  
Christum Dominum spectatum ratione humanitatis, non esse radicem Dau- Rupertus.  
dis, sed potius Dauidem eius radicem. Cæterùm appellari radicem Dauidis, Pannon.  
vt eius diuinitas indicetur, secundum quam radix Dauidis, & omnia omnino  
fuit. *Magnificum,* inquit Rupertus, *& mirabile est eius esse radicem, de cuius stirpe*  
*descendit. Itaque secundum diuinitatem dicitur esse radix David, quia sicut radix vi-*  
*tæm aut palmitem, ita Patrem suę carnis Dauidem portat Christus secundum diuini-*  
*tatem: unde dicitur Dauid, & tota gens illa in sacris literis vinea Domini dici consuevit,* Ioan. 15. 1.  
*nisi quia per fidem dicitur inhaerebat Christo, qui dicit Ioan. 15. Ego sum vitis, & vos*  
*palmitem.* Aliam rationem afferunt Arethas, & Ansbert. appellari Messiam radi-  
cem Dauidis, non Dauid ex ipso, sed quia ipse ex Dauide ortum habuere, vt  
nimirum indicetur Dauidem esse quasi semen, ex quo Messias produit tan-  
quam radix, ex quo deinde futura Ecclesię virgulta germinarent, atque  
ad eò dicatur radix Dauidis, id est, ortus ex Dauide, tanquam ex semine. Eodẽm-  
que sensu intelligi potest illud Esaiã 11. *Eccc radix Iesse, qui stat in signum populorum,*





αὐτὸν ἐν ὄρει μετὰ ὧρα ἰσραὴλ, id est, In monte sublimi Iſraël suspendam illum. Quemadmodum expendit Theodoretus in suis commentarijs super Ezechielem. Theodor. Esai. 33. 8. Eandem ex Christo mortuo germinationem pronunciauit Esaias cap. 53. vbi postquam Christi passionem, & mortem multis verbis commemorasset, quasi exponens illum per mortem plantatum in fructus vberimos pullulasse, subiunxit: *Germinationem eius quis enarrabit?* id est, quis poterit enumerare innumerabilem sobolem, quæ ex eo orietur? verbum enim Hebraicum *דור*, dor, significat sobolem, & multorum propagationem: quemadmodum perspicuum est ex Ecclesiaste cap. 1. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat.* Et Psal. 9. *Dixit enim in corde suo, non mouebo à generatione in generationem.* Et ex multis alijs locis, vbi idem verbum ponitur: quam eandem sobolem ex Christo orituram habes apud Esaiam eodem cap. cum dicitur, *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra siccanti:* Etenim sicut virgultum abscissum magis crescit, ita Christus abscissus per mortem, iterum per resurrectionem pullulauit, sicut radix quoad aspectum quidem oculorum latet sub terra defixa, sed tamen foras virtutem suam exerit, ita Verbum latuit quidem in carne, præcipue verò in cruce. Quam ob causam Esaiæ 40. appellatur Deus absconditus, sed vim tamen eximiam ostendit in debellandis aëris potestatibus, & hominibus ad gloriam pro- uenchendis, Denique eandem ob causam appellatur Christus germen Esaiæ 4. *In Esai 4. 2. die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructu terre sublimis.* Et Genesis 49. in benedictione Iudæ, iuxta translationem Septuaginta, *Ex germine filii mei ascendisti.* Quanquam D. Ambrosius libro de benedictionibus Patriarcharum c. 4. locum hunc ad incarnationem refert. *Ex germine, inquit, ascendit, id quod tanquam frutex in alio uirginis genuit, & ut flos boni odoris ad redemptionem mundi materis uisceribus in splendore nouæ lucis emissus ascendit, iuxta Esaiæ uaticinium cap. 11. Esai 11. 1. Excibit uirga de radice Jesse, & flos de radice eius ascendet.*

Quis sit ille agnus stans tanquam occisus, habens cornua septem, & oculos septem: *Et primum, cur Christus Agnus dicatur.*

SECTIO III.

Commemorat Ioannes uidisse se in medio throni, & quatuor animalium, & uiginti quatuor seniorum, agnum quendam stantem, tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui de dextera sedentis in throno librū illū accepit, de quo superius disseruimus, quem agnum Christum Dominū esse nemini dubiū esse debet. Illud explicandū superest, cur appelletur agnus, cur stet, cur tanquā occisus appareat, cur denique habeat cornua septem, & oculos septem.

Igitur ut à primò ordiamur, sciendum est Christum in sacris literis, non solum leonem, propter ea, quæ paulò antè diximus, sed etiam Agnum propter multa alia appellari. Primum, quia ueluti Agnus fuit pro hominum salute in cruce immolatus, quæ ratio est Origenis homilia 24. super numeros. Imò & Ioannis Baptista cum dixit, *Ecco Agnus Dei, ecco qui tollit peccata mundi:* nimirum immolatus in cruce. Quam etiam ob causam fuit olim expressus in iugi illo sacrificio legis ueteris, in quo Deus præcepit, ut sibi quotidie duo agni immolarentur, Numerorum 28. *Offeretis agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: unum offeretis mane, & ad alterum ad uesperam.* Quo loco est obseruandum, quanquam in lege ueteri multa animalium genera, siue terrestria, siue uolatilia uicari consueuerint, nihilominus iuge sacrificium, ex solis agnis præceptum fuisse,

Profant salu-  
is fidelium san-  
cti, Christi  
sacrificio ad-  
iuncti.

Exod. 12.  
D. Gregor.

quod videlicet expressus Christi sacrificium representare. Itaque cetera omnia sacrificia ad hoc sacrificium iuge quasi adiungebantur, quia hoc solum quotidianum erat, quo significabatur, licet omnes sancti, qui pro Christo passi sunt, profant ad salutem fidelium, id tamen non habere, nisi quatenus Christi sacrificio adiunguntur. Eandem ob causam fuit Christus expressus in agno illo, cuius sanguine precepti sunt liniri postes, & superliminaria domorum filiorum Israel. Exod. 12. Quemadmodum prater alios explicauit D. Gregorius homil. 22. super Euangelia: *Quis, inquit, sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicimus, qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur, nam qui sic redemptoris sui sanguinem accipit, ut imitari passionem illius nedum velit, in vno tantum poste sanguinem posuit. Quid vero est illum ponere in superliminariis domorum: Mens nostra domus est, cuius domus superliminare est ipsa intentio, qua praeminet actioni, qui igitur intentionem cogitationis sua ad imitationem Dominicae passionis dirigit, in superliminari domus agni sanguinem ponit.*

III.  
Christi man-  
suetudo in  
passione.  
Esai. 53. 6.  
Petr. 2. 23.

Secunda ratio, cur Christus agno comparatur, desumitur ab admirabili mansuetudine, quam in passione praefertim exhibuit, quam suspiciens Esai. cap. 53. dixit: *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Quam etiam expendit Petrus prima sua epistola, cap. 2. *Cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.* Verum quod mirum esse videri debet, ob hanc ipsam mansuetudinem principatum dicitur hic agnus obtinuisse: quemadmodum cecinit Esaias cap. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terra de Petra deserti, ad montem filiae Sion.* In quem locum Rabbi Ioseph, & ferè alij Hebraeorum dicunt, Moabitas consueuissent tributum mittere ad Regem Israel centum millia agnorum, mortuo autem Achab amplius ea non misisse, ut refertur 4. Reg. 3. Itaque confirmatum Israellem nunc dicere: *Mitte agnos dominatori terra,* (sic enim legunt ex Hebraeo,) id est, Ezechiae. De Petra deserti, quae vna est ex urbibus Moab. Verum suo modo nugantur Hebraei, locus enim de Christo intelligitur, ut exponit D. Hieronymus in commentarijs super Esaiam, qui ait transferti posse ex Hebraeo *Dominatori terra, & dominatorem terra,* ut sit sensus, hunc agnum, qui vel ipse est dominator terra, vel immolatur dominatori terra, venturum esse ex Petra deserti, quae erat ciuitas Moabitarum, vbi nata fuit Ruth, ex qua Christus descendit, licet per petram deserti D. Hieronymus ipsam Ruth interpretetur, quae propter infidelitatem Petra quaedam Gentilitatis fuerit: plerique totam regionem Moab, quod sit in Arabia petraea.

Esai. 16. 1.  
Rab. Ioseph.

4. Reg. 3.

D. Hieron.  
Per petram  
deserti quid  
intelligendū.

III.  
Deipara re-  
fugium mor-  
taliū.  
Hebraeorum  
sententia re-  
fellit.

Denique alij beatam Virginem, quae Petra est refugij omnium mortalium. Quod verò Rabbi Ioseph, & Hebraeorum sententia defendi non possit ex eo est percipiendum, quod nulla erat oratio, cur Ezechias dominator terra appellaretur, cum duabus tantum tribubus imperaret. Accedit quod nunquam Regi Ezechiae illi agni debiti, aut soluti fuerunt: Nec verò Osee vltimus Rex Israel potest vltimo modo intelligi, quippe qui huius vaticinij tempore, aut regnum iam amiserat, aut certè in eo erat statu, ut appellari dominator terra non potuerit, neque vltimus Princeps cogi ad ei pendendum tributum. Facit praeterea quod Septuaginta interpretes: *Dominatorem non Dominatori* translulerunt. Verum de hoc vaticinio in nostra victoria fufius, illud tantum hoc loco admonentes, restè Christum, cum agnus dicitur, dominatorem terra appellari: quia mansuetudine, & amore, vniuersum mundum sibi subiecit, quemadmodum ei gratulatur Regius vates Psalm. 44. *Intende, prospere procede & regna, propter mansuetudinem:* quam etiam ob causam hoc ipso loco Apocalypsis, cum in specie agni Christus apparuisset,

Mansuetudi-  
ne subiecit  
mundum  
Christus.  
Psalm. 44. 7.

vnus ex vigintiquatuor senioribus clamauit: *vicit leo de tribu Iuda*, tunc nimirum leonis fortitudinem, & victoriam in Christo agnoscens, cum agni mansuetudinem in eo spectauit. Tertia ratio ducitur ab innocentia: quemadmodum docet Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum Pascha.

Quarta, & postrema, ex eo quod Christi meritis tanquam agni vellere induimur, quæ ratio est eiusdem Nazianzeniloco citato, D. Epiphanijs lib. 3. contra hereses, & Diui Hieronymi super cap. 13. Esaiæ: *Non solum inquit, sanguine suo nos redemit, se etiam lanis operuit, ut infidelitate argentes sua veste calefaceret*, iuxta illud ad Gal. 3. *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*, Et ad Rom. 13. *Induimini Dominum* Atque hoc e quidem vellus, quo Agnus iste celestis nos induit, verè aureum est: vt eius obtinendi gratia multo plura subijce debeamus pericula, quàm fuerint illa, quibus Iason, & celeberrimi illi Argonautæ ad fabulosum illud vellus aureum quærendum, se difficillimæ navigationi obiecerunt.

Cur Agnus apparuerit stans, & tanquam occisus.

SECTIO IV.

Quod ad secundum attinet subiungit Ioannes, eiusmodi Agnum stantem apparuisse: cuius rei multiplex affertur ratio. Prima est Gloſſa, quia nimirum reuertitur ad vitam immortalem. Secunda est Richardi de sancto Victore, apparuisse stantem, quasi paratum ad perficiendum opus redemptionis. Tertia Pannonij apparuisse stantem tanquam ad iudicandum, iuxta illud Esaiæ 3. *Dominus stat ad iudicandum populos*. Quarta Ansberti, Hugonis Cardinalis, & aliorum ad opitulandum: quæ ratio est etiam D. Gregorij homil. 9. super Euangelia: quo loco reddens rationem cur beatus Stephanus Actor. 7. vidit Christum non sedentem, sed stantem *Sedere*, inquit, *iudicantis est, stare pugnantis vel alimantis*: quia igitur redemptor noster assumptus in celum omnia iudicat, propterea cum Marcus sedere describit capite vltimo: Stephanus verò in labore certaminis positus, stantem videt, quem adiutorem habuit, quia vt in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de celo Christi gratia pugnavit. Quinta, & postrema est D. Augustini libro quæſtionum in nouo Testamento, quæſtione octuagesima octaua, si eius est illud opus, stare Christum ante thronum Dei, quasi aduocatum pro hominibus *In veteri*, inquit, *testamento Esaias Christum vidit sedentem cap. 6. at in nouo Stephanus stantem, Actor. 7. Quomodo*, inquit, *post triumphos videtur stare quasi subiectus, & antequam vinceret, sedere quasi Dominus, sed profecto visus est quasi Rex accipiens plebem, atque ad se offensa sedentem, quia in pace erat causa diuinitatis: Stephano item autem vt stans appareret, fecit calumnia Iudaorum. In Stephano enim saluatoris causa vix pariebatur: ideo sedente iudice Deo stans apparuit quasi qui causam diceret, & quia bona causa eius est, ad dexteram iudicis erat, omnis enim, qui causam dicit, stet necesse est. Hæc Augustinus.*

Quod attinet ad tertium, ait Ioannes eundem agnum apparuisse tanquam occitum: quo testimonio abusi sunt complures heretici ad probandum Christum Dominum non fuisse verè mortuum, siquidem non occisus, sed tanquam occisus à Ioanne dicitur: quæ heresis ex variis capitibus ortum habuit, quidam eo inficiabantur Christum verè mortuum, quia impie existimabant eum non habuisse verum corpus, sed phantasticum & apparens: in quo errore fuerunt Manichæi, Priscillianista, & alij: aduersus quem errorem disputat Tertullianus in libro de Carne Christi & libro de præscriptionibus hæreticorum, Iustinus martyr in secundo Apologetico pro Carilianis, diuus Epiphanius hæresi 41. 42. & 66. D. Epiphanius

I.  
Glossa.  
Rich. Vict.  
Christi alacritas ad redemptionis opus  
Pannon.  
Esai. 3. 13.  
Ansberti.  
Hugo Card.  
D. Gregor.  
Paratus ad opitulandum  
Christus.  
Marc. c. vlt.  
D. August.  
Esai. 6. 1.  
Act. 7.  
Christus aduocatus non per apud par-

II.  
Tertul.

R. iij

D. Augustinus libro de heresibus, heresi 22. & Leo Papa epist. 93, cap. 4. & 17. Alij ex eo, quia credebant habuisse corpus caeleste, atque impassibile, ut Valentinus, auctore Tertulliano libro de Praescriptionibus hereticorum, & Diuus Augustinus heresi 11. In quo etiam errore fuerunt Gnostici apud Irenaeum libro 1. capite 5. Alij denique quia putant, habuisse corpus diuinum confubstantiale diuinitati, ut Apollinaris, ut auctor est Iustinus Martyr loco citato, quibus omnibus erroribus praetermissis, quorum videlicet confutatio ad alium locum pertinet, illud interim annotare sufficiat particulas, tanquam, quasi, & similes in sacris literis non semper similitudinem, sed saepe rei ipsius significare veritatem: veluti 2. ad Corinthios 3. *Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu.* Id est, quemadmodum decet Domini spiritum operari, siue ut interpretatur Hieronymus spiritu Domini operante. Et ad Ephesios 5. *Ut filij lucis ambulatis*, id est, ut filios lucis decet. Psal. 125. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati*, id est, cum nos Dominus reduxit ex captiuitate, incredibilem animo laetitiam, & consolationem accepimus. Denique Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre*, id est, ea fulgentem gloria, qualem Dei filium habere conueniebat: quemadmodum exponit D. Chrysost. homil. 11. in Ioannem his verbis: *Verbum (quasi) hoc loco non similitudinis est, sed confirmationis, & definitionis certissima, quasi dicat, vidimus gloriam, quae eam debeat, & credibile sit habere unigenitum, & dilectissimum omnium regis filium, ut vulgo etiam cum regum comitatum volumus describere, consueuimus dicere, incedebat quasi rex.* Non recte igitur argumentantur heretici ex particula, quasi, seu tanquam, ad veritatem mortis Christi inficiendam, sed neque hoc loco, *Quasi occisum*, pro *Occisum*, posuit Ioannes, cum haec post ascensionem Christi in caelum contigerint, sed illud significare voluit, vidisse se Agnum illum cum signis praeterita occisionis, si quidem Christus cum quinque vulnerum cicatricibus resurrexit, & cum iisdem in caelum ascendit: qua de re fuse iam in commentariis primi capituli differuimus.

Cur Agnus apparuerit habens cornua septem, & oculos septem.

I.

## SECTIO V.

**A**dditur postremo, *Habentem cornua septem, & oculos septem.* Mirabilis procul dubio Agnus, qui septem cornua, totidemque oculos habeat. In septem cornibus eminentia potestatis: in septem oculis multiplex per septem spiritus sancti dona illuminatio, & prouidentia, qua Ecclesiam administrat, accipienda est: est namque numerus septenarius, vniuersitatis, & perfectionis symbolum. Et quidem quod attinet ad cornua, (de oculis enim iam suo loco egimus) sciendum est, cornu in sacris literis, pro regno, & regali potestate saepe usurpari, veluti Zach. 1. vbi quatuor mundi imperia, quatuor cornua appellantur. Et Psal. 131. *Illic producam cornu Dauid.* Et 1. Reg. 2. *Sublimabit cornu Christi sui*, vbi est sermo ad literam de regno Messiae, quemadmodum & Psal. 91. *Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum.* Merito autem Regnum Messiae cornu vnicornis simile dicitur. Primo propter firmitatem: Est enim cornu vnicornis durissimum. Deinde propter splendorem, quia pulcherrimum. Tertio, propter utilitatem, quia est aduersus venena praesentissimum. Denique quia vnicum in quolibet horum animalium, Christi monarchiam significat. Nec solum pro regno cornu accipitur, sed pro quacunque etiam excellentia, & sublimitate, tam in bonam, quam in malam partem. Veluti

Psal. 74.

Potestas Christi in administranda Ecclesia. Zachar. 1. 13. Psal. 131. 7. 1. Reg. 2. 10. Psal. 91. 11.

Psal. 74. *Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti; & iterum, Dixerunt quibus nolite inique agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Et Psalm. 88. In nomine tuo exaltabit cornu nostrum. Denique pro robore & fortitudine Psalm. 17. Pro rector meo, & cornu salutis mee. Et Psalm. 21. Salua me ex ore leonis, & a cornibus uniuersorum, qui uniuersos uincunt: id est a viribus, & potentia superborum, qui uniuersos appelliantur, quod confortium, & societatem in honore omnino respuant: sic enim interpretatur D. August. in prioris expositione eius Psalmi. *A sublimitatibus, inquit, superborum se singulariter erigentium, confortesque non ferentium saluam fac humilitatem meam.* Quo etiam modo eundem locum intellexit Diuus Greg. lib. 31. Moralium, c. 13. quamuis cum ad Christum referat, & Iudaeos, qui eum persequabantur. *Tor,* inquit, *in illa gente uniuersos exiterunt, quotquot de legis operibus singulari, & fatua elatione confisi sunt.* Itaque hoc loco cornua non solum pro eminentia potestatis & regno, sed etiam pro fortitudine sumuntur: septem autem cornua pro summa fortitudine, eod quod numerus septenarius dicat uniuersitatem & perfectionem.*

His igitur cornibus noster agnus armatus, dicitur gentes ventilasse Deuteronomij 33. *Cornua Rhinocerotis ornua illum, in ipsis ventilabit gentes.* Quem locum expendens Tertull. lib. aduersus Iudaeos, titul. Quod Patriarcha ostendunt figuram crucis. *Christus, inquit, significabatur, cuius cornua essent estimata, hac enim virtute crucis uniuersas gentes nunc uentilat per fidem, auferens a terra in caelum, & tunc ventilabit per iudicium.*

Aduerte autem hoc loco, recte agnum septem cornua tunc ostentare, cum tanquam occisus apparet: quia nimirum vim suam, & fortitudinem praecipue in morte, & cruce exercuit: quemadmodum cecinit Abacuch. c. 3. ubi eum praemisisset, *cornua in manibus eius,* qui locus ad crucis cornua pertinet, statim subiunxit, *ibi abscondita est fortitudo eius.* Non est tamen praeterendum, quod in eum locum annotauit Hieronymus, iuxta translationem Septuaginta, quae sic habet. *Cornua in manibus eius, & posuit dilectionem robustam fortitudinis suae, nimirum, inquit Hieronymus, idcirco Deus Pater operuit caelos gloria, & terram repleuit laude, & cornua, id est, regnum posuit in manu filij sui, ut faceret dilectum suum ab hominibus diligere, & diligere non leuiter, sed uehementer, & fortiter.* Itaque iuxta Hieronymi sententiam omnia, quae Deus fecit in caelo, & quae per Christum gessit in terris, ad unum amorem referuntur, ut tam multis allecti beneficiis unigenitum Dei filium, ipsumque Deum non vulgari, sed uehementi, & forti quodam amore diligeremus. Propterea enim dictum est, *Dilectionem robustam fortitudinis suae.* Possumus etiam ita interpretari Patrem in Christo posuisse dilectionem robustam fortitudinis suae: quia dando filium suum, ostendit se mirum in modum in amorem mortaliu exarsisse, omnisque fortitudinis suae neruos contendisse: denique ad ultimum ut aiunt potentiae quodammodo peruenisse ad homines sui amore inflammandos.

Quid sit viginti quatuor seniores habere singulos citharas, & cantare canticum nouum.

*Cum aperuisset librum, animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum, & cantabant canticum nouum.*

SECTIO. VI.

Cum agnus librum aperuisset, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas,

*Rupertus.* plenas odoramentorum, & cœperunt cantare canticum nouum dicentes: Dignus  
*Ante passio-* es Domine accipere librum, &c. Obseruauit autem Rupertus nō vacare myste-  
*nem pauci,* rio, quōd postquam Agnus librum aperuit, quatuor animalia, & viginti quatuor  
*post illam* seniores eōsam illo ceciderunt: quia, vt ait, antequam Agnus librum aperuisset, id est an-  
*Christum in-* tequā per passionē suam adimplet veritatem scripturarum, præter paucissimos, hoc est, præ-  
*num et ad-* ter tres Magos ab Oriente venientes, & præter illum illuminatum à natiuitate cæcum, fere nul-  
*rauerunt.* lus inuenitur procidendo adorasse Agnum: sed postquam librum aperuit, id est per mortem, &  
 passionem suam obedientiam consummauit, omne genu curuatur, calistium, terrestrium, & in-  
*Ad Phil. 2.* fernarum, ad Philip. 2. Nec vero solum genu flectitur, sed plena adoratio procidendo perficitur,  
 10. iuxta illud Psal. 71. Coram illo procident, *Antipopes,* & inimici eius terram lingent, id est, qui  
*Psal. 71. 29.* ante inimici eius erant, in signum perfectæ adorationis terram ipsam lambent. Quod  
*Primasius.* ad contextum attinet, Primasius verbum, ant. eas, quod post phialas additur, ad ci-  
*Ansbertus.* tharas quoque referendum existimat, vt nimirum etiam citharæ aureæ fuerint, Ansbertus  
 verò inuuit etiam quatuor animalia habuisse citharas, quōd si accidit, mirum certè fuit, leonem, vitulum, & aquilam citharam fūllasse, summāque  
 Christi gratiam declarat, quæ ferocia ingenia, & sup̄ptē natura barbara, atque ad  
 fidei disciplinam parum idonea ita condocēfecit, atque erudiuit, vt cum viginti  
 quatuor senioribus possent ipsam quoque citharam in manu numerare, Deique lau-  
 des decantare. Simile ferè prodigium commemoratur Esai. 11. cum puer parquē-  
 lus, hoc est Messias, instar pastoris rectoris dicitur gregem quandam ex agnis, ha-  
 dis, vitulis, ouibus, lupis, pardis, leonibusque constantem, tanta seruata inter tam  
 dissimilia animalia concordia, vt lupus cum agno habitet, & cum hædo accubet  
 pardus, vitulusque, leo, atque ouis simul commorentur: quia nimirum Messias  
 homines natura esferatos, & potentia magnitudine superbiētes deberet redde-  
 re mansuetos, atque ad humilem, & facilem cum abiectis hominibus consuetu-  
 dinem traducere: denique per Euangelij prædicationem cicurare, & illos æquē,  
 atque inopes, & infirmos eodem doctrinæ, fidei, Sacramentorumque pastu in ea-  
 dem Ecclesiæ caula inclusos alere, legibusque suis ad Euangelij humilitatem &  
 mansuetudinem erudire.

II. Igitur Richardus de S. Victore, per citharas, quæ manibus pulsatæ suauiter so-  
 nant, putat significari bona opera Sanctorum, quæ suis effectibus quasi quibusdā  
 sonis proximos ad rerum diuinarum contemplationem, & amorem excitant, &  
 inuitant. Pannonius spirituales quendam harmoniam ex puritate motū, & vir-  
 tutū inter se concinentium coniunctione resultantem, quæ in sanctorum animis  
 perpetuo sonant Dei laudem. Communis expositio, quam sequuntur Beda, Pri-  
 masius, Rupertus, Ansbertus, Hugo Cardinalis, & Glossa ordinaria est, per eius-  
 modi citharas mortificationem carnis intelligi, cuius sententiæ rationes paulō  
 post afferemus. Nobis tamen videtur probabilius per citharas in vniuersum diui-  
 narum laudū cōmemorationem intelligendā esse, quas viginti quatuor seniores  
 duobus potissimū modis denūciant, mortificatione videlicet passionū (iuxta cō-  
 muniore expositio) ex qua virtutū resultat cōcētus, & diuini verbi prædicatione.  
 Et quidē quod attinet ad mortificationē rectē ea citharæ cōparatur. Primū,  
 quia vt cithara chorda, ita mēbra per mortificationē tenduntur. Deinde quia, vt  
 annotauit Ansbertus, sicut in cithara aliæ chordæ fortius, aliæ lenius tēdūtur, sed  
 tamen dissimiliter tensæ non dissimilē concentum efficiunt. Ita diuersa in Christi  
 corpore mēbra passiones eius alia plenius, alia minus imitantur: sed tamē dissim-  
 iliter patientes vnam concordem Dei laudem resonant. Tertio, quoniam, vt  
 expendit D. Gregorius libro tertio Moralium, capite tertio, chorda in cithara,  
 si minus

*Causa mor-*  
*tificatio ci-*  
*thara com-*  
*paratur.*  
*Ansbert.*  
*D. Greg.*



si minus tenditur, non sonat: si amplius, raucum sonat. Vnde Paulus, fidelium animas velut in cithara chordas tensas, alias amplius tendendo extenuat, alias a tensione sua laxando, conseruat: alijs enim dicit ad Romanos 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicijs.* Et ad Colossenses 3. *Mortificate membra vestra, quae sunt super terram.* Et tamen Timotheo dicit: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* ad Timotheum 5. Itaque iuxta D. Gregorium, mortificatio cithara dicitur, quia debet esse per prudentiam temperata. Quarta, ex D. Augustino, super illa verba Psal. 42. *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus.* Quia sicut cithara ex inferiori parte sonat, ita mortificatio ad inferiores animae vires carnisque rebellionem comprimendam praecipue pertinet. Huius citharae chordae sunt omnia membra, quae omnia per mortificationem extendi debent, iuxta illud Pauli ad Romanos 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiae, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiae in sanctificationem.* Quod autem huius citharae sonus Deo sit gratissimus, ostendit D. Greg. lib. 10. Moral. cap. 21. ex illis verbis Psal. 117. *Constituete diem solennem in confrequentationibus* (vulgatus transtulit, in condensis,) *usque ad cornu altaris. Solennem, inquit, Domino diem in confrequentationibus constituit, quisquis se assidue in eius desiderio affligit, qui nimirum solennitatis dies usque ad altaris cornu tendi praecipitur, quia tamdiu necesse est, ut quisque se affligat, quousque ad superni sacrificij altitudinem, id ad aeterna gaudia pertingat.*

Quod ad praedicationem attinet diuini Verbi, quam etiam nomine citharae intelligendam diximus, luculenter testatur Esaias, cum dese, tanquam de concionatore loquens, ait capite 16. *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* In quem locum D. Hieronymus elegantex adnotauit, concionatorem debere omni virtutum genere praestare. *Quomodo, inquit, cithara non emittit sonum compositum, si vel una chorda rupta fuerit, sic spiritalis venter Propheta, si una in eo virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulces resonare.* Eandem etiam ob causam praedicatorum instrumenta musica appellantur Esaiæ 22. quemadmodum interpretatur Diuus Hieronymus, cum dicitur, *figam illum* (id est Christum) *paxillum in loco fidei, & erit in solium gloriae domus patris sui, & suspendent super eum omnem gloriam domus Patris eius, vasorum diuersa genera, omne vas paruum a vasis craterarum, usque ad omne vas musicorum.* Qui locus de Christo intelligitur, is enim tanquam paxillus in Ecclesia fixus est, ex quo omnis gloria Patris eius pendet, Dei-que sapientia, & iustitia, ut idem Hieronymus exponit, ex eoque pendent omnia vasa musicorum, id est, praedicatorum, qui Dei laudes ubique resonant, atque hi praecipue dicuntur cantare canticum nouum, id est redemptionis beneficium, quod Agnus per sui immolationem in omnes contulit, indentidem commemorare, ipsique Agno de hominum salute parta, ac Dei honore per suam mortem restituto gratulari, quod canticum nouum dicitur, quia licet tanti beneficij promissio fuerit antiquissima, collatio ipsa, & exhibitio ad legem gratiae peruenit, quare nouum beneficium nouo cantico celebrari oportuit: quanquam & canticum nouum per extraordinarium sumi potest; ut quemadmodum redemptio- nis beneficium extraordinarium fuit, ita extraordinario quodam cantico, & laude, à viginti quatuor senioribus, & quatuor animalibus, id est, praestantissimis quibusque sanctis, & egregijs concionatoribus, atque adeo ab Ecclesia vniuersa praedicandum, & extollendum denunciatur, de quo cantico loquutus est Esaias cum dixit capite 45. *Cantate Domino canticum nouum.* Quem locum ad redemptionem per Christum, atque ad noui testamenti gratiam

III.  
Praedictio  
verbi Dei  
cithara.  
Esai. 16. 17.  
D Hieron.  
Concionator  
virtutibus  
praestare de-  
bet.  
Esai. 22. 23.  
D Hieron.

Esai. 42. 10

Clem. Alex. refert præter alios Clemens Alexandrinus in exhortatoria ad Gentes, quo loco multis ostendit Christum fuisse novum quendam citharadum, qui tum per se, tum per suos concionatores, omnia ad se concentus suavitæ traxit, commemoransque illam Græcorum fabulam, qua Orpheus, & alij solo cantu dicuntur feras redidisse mansuetas, sylvasque, & rupes attraxisse, docet id per solum Christum verè fuisse perfectum his verbis. *Solus ipse feras mansuefecit, volucres quidem, id est eos qui ex se ipsis sunt leues: serpentes, id est, deceptores: leones, eos qui ad iram sunt concitati: fures, eos qui sunt voluptati dediti: lupos, eos qui sunt rapaces: lapides etiam, & ligna ad se traxit, id est, eos qui lapides, & ligna adorabunt, & qui instar lapidum insipientes erant, iuxta illud Marthæ 3. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, id est ex Gentibus, qui lapidibus crediderunt. Has ergo omnes immansuetas feras, & tales lapides ipse celesti cantu in mansuetos homines transformavit, unde quantum potuerit novum canticum homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris, Hactenus Clemens.*

Quid significant phialæ aureæ plenæ odoramentorum.

SECTIO VII.

I. Duo sunt in hac sententia, quæ expositionem desiderant. Vnum est, quid per duas phialas aureas intelligendum sit. Alterum, quænam sint ea odoramenta quorum plenæ esse memorantur. Sed quoniam Ioannes hæc posterio rem partem explicavit, cum subiunxit, *Plenæ odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*, illud nobis explicandum superest, cur orationes Sanctorum odoramenta appellentur.

Beda.  
Rupert.  
Recl. Vit.  
Hu. o. Card.  
Diony. Carp.  
Glos. interl.  
Anibertus.  
Orationes  
Sanctorum  
cur odora-  
me. ta di-  
cantur.  
Pannon.  
Psal. 118. 32.  
ad Tim. 2.

II. Quod igitur ad primum attinet, Beda, Rupertus, Richardus de sancto Victore, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, & Glossa interlinealis, phialas aureas corda sanctorum latitudine charitatis potentia interpretantur. Alij vt Anbertus, ipsam charitatem phialarum nomine accipiunt, quæ plena est odoramentorum, id est orationum, quia non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis orat, hoc enim est esse plenam. Denique Pannonius sanctos pios in Phialis designari existimat. *Sicut enim, inquit, phiala in parte infima angustiores sunt, in suprema verò latiores: ita sancti in parte inferiori, id est in carne, sese contrahunt, & comprimunt, ne terrena concupiscant: in superiori autem, id est, secundum spiritum, se pro viribus dilatant, appetendo celestia, iuxta illud Psal. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cornuum. Aureæ autem sunt huiusmodi phialæ, quia sancti sunt charitate pretiosi, qui nimirum sunt illa vasa aurea in domo Dei, de quibus loquitur Apostolus 2. ad Timotheum 2. Denique plenæ sunt odoramentorum, id est orationum, quia Sanctorum est, gratias Deo agere pro collatis in omnes mortales beneficijs, & pro eorundem salute continuè preces ad Deum fundere. Ex his omnibus expositionibus illa est germanior, quæ phialas corda Sanctorum interpretatur, non solum quia communior, sed quia textui congruentior, cum enim viginti quatuor seniores Sancti ipsi sint, phialasque manibus teneant, alioquin planè est rursus phialas Sanctos interpretari, vt sancti se ipsos tenere manibus dicantur: & quanquam ad charitatem possemus accommodare phialam, quia tamen rectius charitas per aurum phialæ intelligitur, multò videtur conuenientius vt phialas aureas corda sanctorum charitate fulgentia, & pretiosa interpretemur.*

III.  
Oratio nisi  
instar odoris  
ascendit.  
Eccles. 35. 21.

Quod verò ad secundam attinet, non vacat latèndi mysterio, quodd orationes sanctorum odoramenta appellantur; cuius appellationis ratio multiplex afferri potest. Prima, quia oratio instar odoris sursum ascendit: iuxta illud Ecclesiastici 35. 21.

Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspicatur. Et Psal. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Secunda, quia sicut odores boni faciunt ne loca graueolentia offendat, quam ob causam in eiusmodi locis odoramenta solent adhiberi, ita orationes iustorum pro peccatoribus orantium, efficiunt ne impiorum scelera sic Deum afficiant, ut eos quam primum euertat, sed potius eis parcat, melioremque animum iniiciat. Tertia ratio, quia sicut flores quod magis manu premuntur, eo magis olent, & aromata in ignem coniecta suauissimè redolent: ita orationes sanctorum eo sunt feruentiores, quo illi magis laboribus premuntur, & in ignem tribulationis tanquam aromata iniiciuntur: aut si malis, quo ipsi magis se per carnis afflictionem, & macerationem, quasi premunt, in cuius rei typum thymiam illud sacrum ex aromatibus compositum, de quo agitur Exod. 30. Ita fieri iubetur, ut aromata in tenuissimum puluerem contusa, ac redacta prius sint, videlicet Staete, Onyx, Galbanum, & Thus lucidissimum. Est autem Staete pinguedo recentis myrrhae, cum exigua aqua tusa, & organo expressa, (quæ omnia carnis macerationem, & calcigationem indicant) indeque vnguentum efficitur, quod Staete nominatur, Galbanum verò succus est nascentis in Syria ferula, quod nonnulli Metopium vocant, Onychen vult Lyranus in commentariis super trigessimum caput Exodi, esse Ostreolam paruum valde redolentem magnitudine vnguis humani, unde & nomen sumpsit. Eandem ob causam virgula illa fumi, de qua agitur Cantic. 3. *Ex aromatibus myrrhae & vniuersi pulueris pigmentarij ascendebat,* id est, ex carnis mortificatione, per quam prauæ animi appetitiones ita tunduntur, ut in tenuissimum puluerem redigantur, id est, minimum sensum, & appulsam passionum: sic enim eum locum interpretatur D. Gregorius homil. 22. in Ezechielem. *Fumus, inquit, ex aromatibus compunctio est orationis concepta ex virtutibus amoris: quæ tamen oratio fumi virgula dicitur, quia dum sola caelestia postulat, secreta progreditur, ut ad terrena petenda minime respiciatur. Non virga autem, sed virgula dicitur, quia interdum in compunctionis ardore tanta sublimitatis est vis amoris, ut hanc nec ipse animus possit comprehendere: subiungitur, myrrha & thuris: quia thus in sacrificium incenditur, myrrha verò corpora mortua condiuntur, ne vermibus corruptantur, quare myrrha & thuris sacrificium offerunt, qui & carnem affligunt, ne eius corruptionis vitia dominantur, & redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt.* Hæc D. Gregorius. Aduertendum est etiam ignem, quo thymiamata in altari aureo incēdebatur, defertur ad hunc modum ex altari holo causti, in quo perpetuo ignis erat, Leuit. 6. Quia videlicet orationum feruor ex perfecta mortificatione oritur, à qua nunquam cessandum est propter continuam carnis rebellionem, id enim significat, nunquam in altari holo causti defuisse ignem. Quare qui orationi vacare studet, non incumbens mortificationi, perinde est, ac si sine igne aromata velit incendere. Vnde Cantic. 5. dicitur: *Demessui myrrham meam cum aromatibus meis.* Quia nimirum utrunque iungendum est, mortificationis videlicet myrrha, & orationis aromata. Et canticorum 4. *Vadam ad montem myrrhae, & ad collem thuris:* quæ verba sunt sponsi: & est sensus: visitabo eos qui in arduis mortificationis operibus, tanquam in montibus occupantur, & eos, qui in dulcedine orationis, tanquam in collibus conualescunt. Vbi cernis mortificationem per montem, orationem verò per collem significari: tum propter rationem, quam modo indicauimus, quia scilicet mortificatio instar alicuius montis, ardua est atque difficilis, non ita verò oratio, sed instar amœni ac florentis collis, plus suauitatis quam difficultatis continet: tum etiam, quia oratio quasi collis ex monte mortificationis porrigitur: solent

Mitigat iram Dei in peccatores.

Exod. 30. 34

Exod. 30

Cant. 3. 6

D. Gregor.

Leuit. 6. 12.

Orationis

feruor ex

mortificatio-

ne oritur.

Cant. 5. 1.

Cant. 4. 6.

enim montes in colles delinere. Quarta ratio, cur orationes odoramentis comparantur, ea est: quia sicut odores sunt gratissimi; ita orationes iustorum gratissimæ sunt Deo, & Angelis. Quam ob causam Angeli non cessant eiusmodi odores è terra in cælum, quasi aromata deferre, vt videlicet earum afflatu suauissimo in cælo serereent, Deumque eiusmodi thure venerentur, hoc enim mysterium Raphael Angelus Tobie declarauit, cum dixit: *Quando orabas cum lachrymis, ego obruli orationem tuam Domino.* Quò pertinet illud, quò de Noë sacrificio Gen. 8. refertur. *Odoratusque est Dominus odorem suauitatis.* Et illud quod sæpe in Leuitico dicitur: *Oblatio est suauissimi odoris Domino.* Postremò obseruandum est, viginti quatuor seniores non solum citharas, sed phialas etiam habuisse aureas plenas odoramentorum, quia non est satis exterius Dei laudes decantare, nisi etiam cor ipsum interius plenum sit odoramentorum, id est, orationum feruentium suauissimique odoris. Non desunt verò quamplurimi in Ecclesia, qui cum habeant pulcherrimas citharas, easque numerosè pullent, id est, Dei laudes non solum modulatè concinant, sed aliis etiam eleganter prædicant: phialis tamen aureis plenis odoramentorum carent, id est, interna cordis deuotione, quæ potissima est spiritalis citharæditio.

Tob. 12. 12.  
Gen. 8. 21.

Non satis est  
exterius Dei  
laudes can-  
tare.

## ARGUMENTVM.

Persequitur Ioannes visionem secundam, commemorans quomodo Agnus septem illa libri sigilla resignauerit; & quidnam illis apertis apparuerit. Atque hoc capite sex sigilla resignata commemorantur, quibus apertis admiranda quedam, quæ latebant in libro, visa sunt. Etenim aperto primo sigillo apparuit equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, dataque est ei corona. Aperto secundo, exiit equus rufus, & ei qui insidebat equo, datus est gladius magnus. Aperto tertio, apparuit equus niger, & qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua. Aperto quarto, visus est equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi Mors, & infernus sequebatur eum. Aperto quinto, apparuerunt subitus altare animæ intersectorum propter Verbum Dei. Aperto sexto, factus est tremotus quidam magnus, & sol factus est niger tanquam saccus cilicenus, & luna sicut sanguis, & stella de cæla in terram ceciderunt, quamplurimæque alia visu mirabilia apparuerunt, quæ postea sigillatim explicabimus. Atque hæc sunt, quæ per imaginariam visionem hoc capite à Ioanne commemorantur.

## CAPVT SEXTVM.



T vidi quod aperuisset Agnus vnum de septem sigillis, & audiui vnum de quatuor animalibus dicens; tanquam vocem tonitruui: Veni, & vide. Et vidi: Et ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiit vincens, vt vinceret. Et cum aperuisset sigillum secundum,